

### III.

## NEOVIDENSIS

Nro. 73. (Neovidensis 1807. Nro. 72.)

*Secretum Litterarum commercium vivos inter  
et mortuos.*

*Elysium-Meum.-DierVeneis 18.Septemb.(Neovid.4 Sept. 1807.)*

Ad Andream Petrum Comitem de Bernstein.

**A**b Anno 1797 quo vestra Excellentia ex hoc terrarum orbe in meliorem migraverat, Politicus Daniae status mirum in modum mutatus est. Tum enim theatrum belli a Dania multum aberat, neque magno opus erat labore neutralitatem statuendi, aut tuendi. Sed modo!

Voltaire in suo tractatu de Historia eam fecit animadversionem, Daniam, etsi in historia gravium Europæ bellorum minus illustrata esset, quam Svecia; sua tamen prudenti rerum administratione plus roboris et firmitatis consecutam esse. Quis enim regnante Carolo XII. Sveciae rege putasset, fieri posse, ut Dania unquam unam in India societatem, ut in Tranquebar, quæ est una e præcipuis Coromandelæ urbibus, 30 naves bellicas, et exercitum ultra 25000 armatorum numeret? Dania pauca cum Svecis bella gesserat, eaque vix ullum in res Europæ influxum habuerunt. Sed per Sveciam universa pæne Europa novam faciem induerat et illius

summorum virorum res gestæ adhuc hodie litteris celebrantur.

Verum hæc ipsa Daniae potentia, quæ sola industria, et prudenti regimine creverat, occasionem præbuit hodierno bello, et illi, quem Anglia ei minatur, excidio. Nam si Dania non tanta polleret vi nautica, nunquam sane Angliæ in mentem venisset, eam adgreddiendi, ejusque rem navalem cohibendi. Nempe id ipsum fere usuvenire solet regnis et imperiis, quod privato cuivis homini: eum, qui aliquid sibi comparserat, magis adoriuntur homines, quam qui parum, aut pæne nihil possidet: et plerumque fit, ut dives ac locuples majore labore defendere debeat ea, quæ possidet, quam quo ea sibi comparaverat. Ita sane nunc comparata est Dania, cui majore labore veniet conservatio suarum Classium, quam earum erectio.

Quam vera sit hæc mea animadversio, vestra Excellentia facile adsequetur, ubi præsentem rerum politicarum statum magis perspexerit, quem in finem Vestrae Excellentiae nostras reddo binas Declarationes: alteram Daniæ; alteram vero Angliæ, tanquam præcipua de hodierno bello inter has potentias documenta.

*D a n i a.*

Declaratio regni Daniæ, bellum cum Anglia concernens.

Universæ pæne Europæ notum est Systema, quod inmutabili constantia Regum Daniæ inter has belli vicissitudines per annos quin-

denos tenuerat. Ejus enim hæc summa curarum ac desideriorum erat, ut sinceram et omnis factionis expertem neutralitatem et ex hac fluentes obligationes sancte observet. Regimen Daniæ cum aliis regnis eam semper et sinceritatem et rectitudinem coluit, quam integritas ejus actionum, et amor pacis exigebant, ut adeo ab his ullo unquam tempore illud recessisse quisquam suspicari potuerit. Ipsa providentia ejus conatus semper adhuc adjuvabat. Etenim sine ulla injuria aut præjudicio aliarum potentiarum hæc resita ei successerat, ut ejus agendi ratio omnibus probaretur: et licet non unquam id ad reclamaciones belligerantes potentiæ provocarent, hæc tamen non aliunde quam ex studio neutram partem lædendi suaque statuta sancte servandi ortæ et defensæ fuerunt.

Atque hic status pacis et publicæ tranquillitatis repente evanuit. Etenim Regimen Angliæ, quod probrosa inertia manifeste ostendit se emolumentum regum sibi foedere junctorum et in duro ac ancipiti Marte positorum nil pensi habere, præter omnium expectationem, omnes vires ac potentiæ suæ nervos eo intendit, ut regnum pacificum et neutri parti adhærens, etsi id nullius prævaricationis insimulare possit, adoriatur, et de quiete sua deturbet. Executio hujus plani contra regnum Daniæ, etsi jam antiquo et sancto sibi foedere unito, clam quidem sed tamen celeriter propagata est. Regimen Daniæ Anglos armis instructos ante sua littora conspexit prius, quam divinare potuisset, ea adversus se sumpta esse. Selandia erat obsidione

clausa, metropoli exitium intentum, pacis et foederis Jura violata prius, quam aula Londin. verbo declararet, se inimicitias nobis cum fovere. Quae tamen continuo detecta sunt. Verum Europa non facile fidem adhibitura est iis, quae referentur. Tametsi Anglia turpissima et ab omni humanitatis sensu aliena agigaret consilia, illa tamen se provocat ad inanes quosdam rumores, quasi, ut Anglicanum prætendit ministerium, Dania ad hostilia foedera contra Britanniam accedere voluisset. Eo consilio — ubi tamen vel levissima rerum discussio clare ostendit, id prorsus inane esse, — Regimen Anglicanum Aulæ Danicæ declaravit, suam securitatem et boni publici rationem id exigere, ut Daniae liberam electionem aut belli aut arctioris foederis cum Britannia ineundi proponeret.

Quale vero foedus offerebatur? non aliud sane; quam ut pro primo pignore subjiciendae Danicæ, omnes suas naves bellicas Anglicanae subjiceret potestati! Hæc facta declaratio utpote et in ipso modo proponendi, et rebus propositis, et iis, quas præseferbat minis, vehementer injuriosa, nullam transactionem admittebat, siquidem Dania inter metum et manifestam ignominiam posita nullam habere poterat electionem; necessario itaque bellum eruperat. Nec ignorat Dania et pericula, quæ subitura est, et perditionem multorum, qua hoc bellum ei minatur. Cum enim turpi ratione circumventa, et ex ea parte, qua maxime ab aliis separatur, et minime ad defensionem comparata est, oppugnata, ad initium et viribus dis-

par certamen provocetur, quid aliud? quam dubios, et periculi plenos rerum eventus expectare potest? Sed cum ea incontaminatum honorem defendendum suscipiat, suaque inculpabili agendi ratione universæ Europæ existimationem jam sibi comparaverit, confidit fore, ut plus honoris consequatur, si resistendo majori potentiae succubuerit, quam facile parta victoria abusa fuerit.

Neque vero Dania metuit illud iudicium, quod Europa de hoc novo bellandi genere latura est, imo sibi ejus adprobationem ultro pollicetur. Id aulæ nullius partis studiosæ decident, an pro Anglia aut politicæ necessitatis aut publicæ securitatis tanta stet ratio, ut his eam regionem immolare debeat, quæ illam nulla pro-sus re offendit, aut ad suscipiendum bellum provocavit. Regimen Daniæ sua conscientia, sua in Deum fiducia, et amore suorum fidelium ac strenuorum militum nixa confidit se grave illud onus sine ignominia perlaturum, quod ei honor et necessitas imposuerat. Imo in justitia aliarum Europæ Aularum confidens sperat, eas huic malo medelam adlaturas, quæ tametsi jam occasionem restituendæ universalis pacis præbuerant, tamen Anglos ab hac vi Daniæ inferenda deterrere non poterant. Quam vim omnis nobilis et generosus in Anglia animus detestatur, quæ animum regnantis Principis virtutis studiosi deturpat, et annales magnæ Britanniae indelebili macula adficiet.

*Chilonii in Dania.*

Proclamatio Supremi rei nauticae Praefecti suae  
Regiae Majestatis magnae Britanniae in  
mari Baltico edita.

Cum postremi pacis tractatus et mutatio-  
nes regnorum ac eorundem limitum quos tam  
multæ Potentiæ rati habuerant, influxum Gal-  
liae in continentem Europæ ita vehementer au-  
xerint, ut Dania, quæ semper adhuc neutri ac-  
cedere parti studebat, in hoc suo systemate por-  
ro quoque perseverare non possit; aliarum  
vero potentiarum, quæ his Gallia invasionibus  
sese opponunt, plurimum intersit, curare, ne for-  
te arma neutralium etiam potentiarum contra  
se convertantur.

Itaque Rex Dominus noster præsentem,  
Daniae statum æquis oculis intueri non potest,  
et propterea nostra Majestas ad suam Majesta-  
tem Regem Daniae legatum suprema potestate  
instructum miserat, qui amica ratione decla-  
rationem his temporibus congruam, aut provi-  
sionem eorum mediorum exigeret, quæ impe-  
dire possint, ne quid mali Gallia occupata Da-  
niae re nautica meditetur.

Eum in finem Rex Dominus noster neces-  
sarium existimavit, ut pro tempore Classes Da-  
niae in aliquo suae Majestatis portu nobis resig-  
nentur. — Hoc depositum, videtur et æquitas,  
et ipsa necessitas bellum gerentium potentia-  
rum ita exigere, ut sua Mejestas sui Officii, quod  
sibi et populo suo debet, esse duxerit, hanc pe-  
titionem magna Classe, et armata munu ad-  
urgere.

Venimus itaque ad vestra littora, Incolae Seelandiae! non ut hostes vestri, sed ut nos defendamus, impediamusque, ne hostis noster Classes vestras in nos convertat.

Has non ut rem occupatam sed ut pignora a vobis petimus; Vestro enim Regi et nomine et disertis Regis Domini nostri verbis sancte promissum est, ut si nostrae petitioni amice satisfactum fuerit, singulae vestrae Classes post conclusam universalem pacem in eodem statu, quo illae sub protectionem Anglorum venerant, restituerentur.

In vestro itaque gubernio situm est, uno verbo declarare, num arma, quae inviti adversus vos suscepimus, ponenda sint.

Quod si forte vires Galliae aures vestras voci amicitiae et rectae rationi obtinuerint, omnis innocenter profusus sanguis, et obsessae civitatis terror vobis imputari debet.

Miles suae Majestatis Regis magnae Britanniae Seelandiam, quoad vobis visum fuerit, ita habebit, ut provinciam regis sibi foedere juncti. Ille personam eorum, qui pacifice in suis domibus manserint, suspiciet, bona cuilibet propria tuebitur, et disciplinam militarem sancte observabit.

Omnia vitae media, quae ad nundinas adlata fuerint, vobis certo et justo pretio exsolventur; quia vero commeatus, et hominibus et pecoribus, item ligna et vecturae necessariae sunt, haec interdum exigenda esse nemo negaverit.

Nihil vero incolis ad praecavenda damna foret magis proficuum, quam si in diversis regio-

nis partibus aliqui magistratus constituerentur, quibus ea, quae exigenda sunt, significantur, et quibus pecuniae pro rebus requisitis numerentur.

Si hi magistratus denominati, et suo munere ita perfuncti fuerint, ut se in alia ad se haud pertinentia non ingerant, illi suspicientur, et omnes exactiones a singulis foris ad eos dirigentur.

Verum etiam omnes incolas et magistratus oportet quietos in aedibus sua manere, si quis enim in publico armatus, aut plures ceteratim collecti inventi fuerint, aut vel minimum genus violentiae attentaverit, in eos severissime animadvertetur.

Quoniam vero ministerium suae Majestatis Danicae singula haec pacifice acceptare renuit, pars exercitus nostri in navibus in continentem excendere iussa est, totaque nostra potentia belli faciem induit; neque tamen propterea omnis occasio praecisa est vocem rationis et moderationis audiendi.

Datum in littore Seelandiae mense Augusto 1807. Signatum

*J. Gambier,*

Admiralis caerulei vexilli, et Praefectus Britann. Classis in mari Baltico.

*Catcart,*

General. Locumt. et Dux Britann. Copiarum in Septentrionali Europa.